

1409 Constitit, cladem de qua loquor, eo die, quo tempestas illa fœdissima omnia Venetiis turbarat, apud Tanaim acceptam. Turris quæ in Rivoalto est ad Joannis fanum, eo anno ad summum deducta. Cœlestinus ordo, qui ad Georgii fanum in alga est, Laurentii Justiniani opera & aliorum quorundam illustrium sanctitate virorum, celebris hac tempestate esse cœpit. Habuit ab initio præter eos, quos diximus, alios plerosque eminentioris fortunæ viros, & in his Gabrielem Condellmarium, qui postea ex pontificatu Eugenius est nominatus: locum ille opere & donariis ornavit. Triremis una ex quatuor, quæ preciosissimis rebus onustæ ex Gallica negociactione redibant, sub adiutum Siculi freti, non ventorum procella, non æstu maris, sed infœcia remigum periit: qui in ea fuerunt, pene omnes evasere: merx magna ex parte recepta est.

Hic rerum status domi forisque per id tempus fuit. Sed ocium illud, quo minus diuturnum fuerit, barbarorum motus effecere. Ad decem nanque equitum millia, Florentini Pipi ductu, in Italiam per hæc tempora effusa Venetos fines invaserunt. Causam illati a Sigismundo Imperatore belli (siquidem ejus auspiciis in Italiam Thuscus moverat) Veneti annales non habent. Sed Forojuliensium Carnorum intestinas discordias in causa fuisse suspicari libet, regulis populisque ejus terræ aliis alio publicam administrationem trahentibus. Erant qui rem ad Venetos deferrent: alii ad barbarum & Aquilejæ Antistitem. Hinc fuit, quod sub primum Pipi accessum, Fœderico Savorgnano cum hominibus suæ factionis ad Venetos transeunte, continuo Utinenses ditionem fecere. Tum ille, Utino recepto, in Taurisinos fines transiit, Venetisque Serravallum, Belunnum, Feltrum, ac Metam ademit. Non eo inficias, Jaderam a Ladislao emptam, & Sicensem obfisionem tanti motus causam esse potuisse. Sunt qui Brunorii Scalæ, qui ad paternum principatum recuperandum anhelabat, instinctu Regem in Italiam transiisse existiment. Sed quæcumque tunc belli prætensa est causa, satis constat, Pipum post præclara belli facinora auro, ut dicitur, corru-

*Pipus cum
ingenti bar-
barorum
manu in I-
taliam ir-
rumpit.*